

objisse dicunt. Wenero subrogatus cleri libertate, & populi concordia, Fridericus, illustris quoque præsul: Ejus subrogationem licet, præter fastos Monasterienses, Otto Frisingensis, Chronicon Montis Sereni, & Pegaviense tradant; nemo tamen horum illius familiam, aut gradum Ecclesiastici ordinis prodidit. Et cum Wenero Episcopo multa sint monumenta religionis; tum postremo hoc anno conditum est in diœcesi Monasteriensi Collegium Virginum Asbecense à Wicero nobili in Weltringen viro. Id quia Sanctimonialium & Canonicarum ab origine Virginum fuit, Hermannus Episcopus, literis anno 1174 datis, sæculare appellat. Advocatus ejus Collegij fuit Conradus à Weltringen, qui Wiceri filius creditur; à quo post anno 1203 Langenhorstense Collegium Virginum in eadem diœcesi haud procul à Weltringen est fundatum dotatumque. Tristiora ex hoc anno memorat Gobelinus noster. *Clastrum enim, inquit, SS. Petri et Pauli Paderbornæ exustum est. Nobile, videlicet illud Cœnobium Abdinghovianum à Meinwerco conditum, & tot tabulis donationum à Bernardo Episcopo nostro ceterisque exornatum.*

Cœnobium Abdinghov. exustum.

Annus Christi 1152.

- Eugenij III Pont. 3.
- Conradi III Regis 15.
- Friderici I Imp. 1.
- Bernardi Ep. Pad. 25.

Otto Frising in Frider. c. 63.
Moritur Conradus Rex.

Exinde Conradus Rex, postquam omnia per Imperium ad summam tranquillitatem composuisset, resumptis armis, expeditionem in Italiam apparabat, ad Imperij insignia ab Eugenio Pontifice capefenda; quam in rem comitia Imperij Bambergæ indixerat. At eò cum venisset, letali morbo oppressus, xv Calend. Martij extinguitur, non sine præbiti veneni suspitione, quod fraude Rogerij Siciliae Tyranni per Italos, quos habebat medicos, datum credebatur. Princeps armis bonus, ad pericula interritus, justitiæ amans, & religionis religiosorumque hominum studiosissimus; quod vel inter cetera tabulæ à nobis productæ testabuntur. Augustalia Imperij insignia ante mortem deposuit apud Fridericum Sueviæ Ducem, ex fratre Friderico nepotem, quem fidum in bello & expeditione Palæstina comitem habuerat, & Successorem in Imperio designarat; cuique filiolum, quem habebat unicum Fridericum, ob immaturam ætatem non deligendum Regem, commendavit, rogavitq; ut Sueviæ Ducem diceret. Funus domesticorum cura ad Laurisheimense Cœnobium deductum, & juxta Patrem humatum, frustra obnitentibus Bambergensibus, qui tanti Principis exuvias juxta D. Henrici Imperatoris tumulum, nuper ab Eugenio inter Divos relati, collocaturos sese pollicitabantur, Ab excessu Conradi non nisi per novendecim dies interregnum fuit

fuit